



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Quæst. 118. An ad dissolutionem unionis & dismembrationem requiratur consensus Capituli Cathedralis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

Ob deficientem illam cum Capitulo communicationem, dicit eum non egere tractatu eum eodem in unione facienda. Ex quo sequi videtur, eum etiam non egere in hoc Capituli consensu, si aliunde ad hoc non teneatur; etsi aliàs absolute juxta dicta supra non bene inferatur; non eget tractatu, ergo neque consensu. Nihilominus, dum potestate sua ordinaria uniret beneficium aliquod. Eiusdem Cathedralis dignitati alicui ejusdem, videretur egere consensu Capituli Cathedralis, non quidem ob conjunctionem cum illo; sed quia talis suppressio, quae contingit in tali unione, vel maxime concernit Capitulum.

**Quest. 117.** An in unione beneficii Ecclesiae collegiatae, cujus collatio spectat ad collatorem inferiorem, requiratur consensus Capituli Cathedralis?

**Resp.** Ad hoc in *for. benef. p. 3. q. 9. 17.* ex Ventrigl. *l. c. §. 2. num. 14. & 15.* præter consensum dicti collatoris & Capituli ecclesiae collegiatae, alteriusve habentis collegium aliquod clericorum, requiritur adhuc consensum Capituli Cathedralis.

**Quest. 118.** An ad dissolutionem unionis & dismembrationem requiratur consensus Capituli Cathedralis?

**Resp.** Ad primum affirmativè, præsertim, dum unio facta dignitati aut præbendæ Ecclesiae Cathedralis. Videturque sequi ex eo, quod sicut qui potest unire (intellige potestate competente jure ordinario, sicut de potestate competente consuetudine vel ex privilegio; cum consuetudo, privilegium, præscriptio se non extendat ad contraria. Castrop. *de benef. d. 6. p. 12. §. 4. num. 4.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 29. q. 5.*) potest etiam unionem dissolvere; cum per quas causas res nascitur, per easdem etiam dissolvatur. Castrop. *l. c.* Corrad. *l. c. c. 25. à num. 48.* ita etiam videtur dicendum, quod cujus consensus requiratur ad faciendam unionem ejusdem etiam consensus requiratur ad dissolvendam unionem, præsertim dum dissolutio cedit in dispendium illius, cujus consensus requiritur.

2. **Resp.** Ad secundum: ad dismembrationem ecclesiae parochialis seu reddituum ad matricem ecclesiam pertinentium (idem est de redditibus dignitatis alteriusve beneficii) requiritur dictus consensus; cum talis dismembratio sit alienatio quædam Ecclesiae. Fagn. *ad c. ad audiendam il. primo de eccl. adif. num. 15. juncto num. 50. & 51.*

**Quest. 119.** An & qualiter consensus Capituli requiratur ad suppressionem beneficiorum?

**Resp.** In suppressione Canoniciatum etiam collegiatae ecclesiae ob tenuitatem reddituum præter consensum illius collegiatae requiritur quoque consensus Capituli Cathedralis ita, ut illo deficiente, suppressio (quæ est extinctio tituli beneficii, per quam beneficium desinit esse in rerum natura, ejusque redditus, si quos habet applicantur aliis beneficiis vel piis locis) & unio illorum reddituum sit ipso jure nulla. Ventrigl. *Tom. 2. an-*

*not. 8. num. 19.* Castrop. *l. c. d. 6. p. 2. §. 9. n. 1.* Corrad. *l. c. num. 25. 26. & 30.* citans Monet. *de commut. ult. vol. c. 12. q. 6. num. 115.* requiritur enim tunc consensus Capituli Cathedralis tanquam solennitas & veluti forma; consensus verò ecclesiae collegiatae tanquam consensus personæ interesse habentis. Unde licet uterque hic consensus necessarius sit ad valorem suppressionis, posterior tamen, qui præstatur à persona ut interesse habente, ex post supervenire potest, prior verò, qui ut solennitas, adeoque pro forma adhibetur, necessario intervenire debet tempore suppressionis. Quare etiam, dum supprimuntur Canoniciatum vel beneficia ipsius Ecclesiae Cathedralis adeoque Capituli Cathedralis intervenire debet non tantum tanquam personæ interesse habentis, sed etiam tanquam solennitas formalis, intervenire debet tempore suppressionis. Vide me in *for. benef. p. 3. q. 969.* Porro licet aliàs consensus ad suppressionem requisitus intervenisse probari debeat, supponi tamen etiam id ipsum potest, ubi tantum tempus effluxit, quod faciat præsumere solennitates à jure requisitas intervenisse. Corrad. *l. c. num. 42.* citans Menoch. *l. 2. præsump. 75. num. 24. & n. 43.* assignat annos 30.

**Quest. 120.** Circa decimas concedendas Ecclesiae vel pio alicui loco quando requiratur consensus Capituli Cathedralis?

**Resp.** Circa hoc id ferè unicum hic dicendum, quod, si laicus decimas, quas justè ex antiquo, nimirum ante Concilium Lateranense obtinuit in feudum ab ecclesia seu Prælato ecclesiastico, restituere seu redonare velit eidem ecclesiae, poterit id etiam absque requisito consensu Episcopi juxta *c. cum Apostolica b. t.* adeoque multo magis sine consensu Capituli. Si verò eas alteri loco pio, monasterio vel ecclesiae, à qua eas non accepit, donare velit, quod potest (uti etiam id permittitur laico, qui eas injustè accepit ante Concilium Lateranense, & induci nequit, ut illas eidem ecclesiae, à qua injustè accepit, restitnat. Arg. *c. cum Apostolica*) requiritur necessario consensus Episcopi Diocessani juxta *c. Apostolica*, sine quo religiosi etiam exempti eas recipere nequeunt; nec etiam laicus quicquam de rebus ecclesiasticis (quale est jus decimarum) disponere potest, & probabiliter etiam consensus Episcopi vel Prælati ecclesiae, à qua acceptæ decimæ. Non tamen requiritur ad hanc donationem consensus Capituli Cathedralis; cum per illam non tam alienetur, quam revocetur res ecclesiastica de manu laici ad ecclesiam, saltem universalem, ad quam principaliter spectat jus decimarum. Less. *de just. l. 2. c. 39. num. 20.* Castrop. *ir. 2. d. 10. p. 9. num. 6.* Azor. *p. 1. l. 7. c. 36. q. 13.* Pirh. *b. t. num. 12. & 13.* juxta *c. cum Apostolica*. Major poterat esse dubitatio, num præter consensum Episcopi requiratur consensus Capituli, dum laicus justè possidens decimas in feudum, alteri laico concedit eas in feudum; quod eum posse (saltem accedente consensu Ecclesiae, à qua eas primitus accepit laicus) tenent Card. Jo. And. Sylv. Covar. Castrop. Laym. Pirh. à me citati in *for. benef. p. 1. q. 475. num. 3.* contra Abb. Less. & alios. In quo dubio pro negativa facere videtur, quod hæc non sit nova concessio feudi seu alienatio domini